

Appendix. — Europa Nro. 41.

Regnum Mortuorum.

Sermo Politicus de Finnia Svecica.

Elysium — Meum 6. Maii 1808.

T e x t u s.

„Exercitus nostri hostera ubique exquisiverunt, eum heroi-
 „ce profligarunt, et omnem propemodum Finniam
 „Svecicam occuparunt, et obsederunt, haec proinde
 „armis nostrorum occupata provincia ab hodierna die
 „(20. Martii) in perpetuum imperio russo adjun-
 „getur.“

Declaratio russica de 20. Martii 1808.

Talis est hodie stilus Potentum, dum hostibus suis bellum indicunt, et provincias occupant. Olim erant tractatus pacis, et requirebatur gerantia, et consensus vicinorum, aut secus interessatorum Principum. Omnia mutata, ergo etiam stilus diplomaticus. Ergo Finnia est pars integrans Russiae. Quidam Geographus non mediocri Danicus Parisiis *Malte-Brun* edidit novissime Geographiam hujus Provinciae, ex qua, quid Svecia perdat, et quid Russia aquirat, patet; en pauca:

Finnia Svecica occupat totum! propemodum Isthmum inter mare album, et balticum, profunditur a gradu borealis latitudinis 60 usque 66. Extensio arealis est 2640 quadratorum milliarium Svecicorum, et populatio ad 900,000. Transecant eam frequentissimi sinus maris, ideo numerosi sunt fluvii piscosi, qui tamen ob irregularitatem alvei navigabiles non sunt. Terra ejus est plurimum massa vegetabilis, adeoque fertilior, quam reliqua Svecia, et posset 2. millionibus hominum alimenta dare, cumprimis siliginis, hordei, fagopyri, et avenae ferax. Pecora, quia nulla eorum cura, sunt minora; vastissimae silvae ferarum armentis plenae. Reditus publici ultra 1 millionem thalerorum assurgunt, quorum maxima pars pro copiis, et praesidiis convertitur; 6000 militum ad exercitum Svecicum administrantur. Natura, et mores Finnorum sunt mali, et boni; sunt seriosi, animosi, infatigabiles, et consuetudinibus suis, praedictis, et linguae inhaerentes, rejicientes omnem cultu-

ram, quam Svecia saepius jam tentavit. Proditione eorum factum, quod Gustavus III. Petropolim non occupaverit, quod est macula in eorum Historia. In moribus multa habent cum Russis communia. Hospitalitas, et mansuetudo sunt characteres eorum in vita sociali. Qui oras meridionales accolunt, sunt subdoli; communis omnibus character esse dicitur rancor, vindictae studium, et irreconciliabilitas. Lingua eorum est grata, et multum melodica, Hungaricae in multum similis; pleraeque voces desinunt in vocales, et raro concurrunt in aliqua voce duae consonantes. Dialectus est triplex. In abstrusissimis inter stagna, et silvas pagis inveniuntur naturales Poetae, quorum cantus non arte compositi, pleni tamen energiae viatorem attonitum reddunt. Comitantur cantus suos cithara, quam *Kandela* nominant. Coloni habitant in tuguriis, quae unico constant cubili, quod fornax major calefacit, et fumus per foramen in tecto, aut janua educitur, eo non obstante, vestimenta Finorum sunt munda. Populus balneis vaporeis delectatur, quae taliter praeparantur: Calefiunt cubilia saepius ad gradum 64. Raum: tum candentes propemodum sedes lapideae eousque aqua perfunduntur, donec cubile vapore repleatur, et balneantes sudore perfundantur. Hoc peracto abluitur corpus aqua tepida, et virgis de betula leniter perstringitur, quod officium mulieres in viris peragunt. Antequam induant se, volutant se hyemis tempore nudi in nivibus, aestate autem per herbas, qua operatione peracta, neo nati esse videntur.

Abo, finnice *Turku*, est regionis metropolis, sedesque fori supremi, Episcopi, Societatis oeconomicae, et Universitatis, quam Regina Christina Anno 1640 fundavit; Civitas haec numerat 12,000 habitatorum, habet multas manufacturas lanae. — *Sveaborg* est specimen Architecturae perfectissimum, omniumque munimentorum totius Sveciae fortissimum, spatio horae Helsingforte meridiem versus distitum, et ex septem munitis Insulis compositum, cum portu eccellente; si omnia propugnacula perfecta essent, foret alterum *Gibraltar*; est etiam statio unius partis marinae Svecicae. — Hic est status provinciae, quam Svecia perdidit, quamve contra decies fortiohem hostem defendere non potuit. Sed longe alia est relatio Svecicae ad Daniam, quae ipsi bellum indixit, ad cuius belli declarationem Sveciae cum energia respondit, quod responsum in historia posteritate asservari mereatur.

Dania pepigit foedus cum Gallia, domi pro excipiendis copiis gallicis praeparavit omnia, in portibus congregavit naves acturias, et ad portum Hafniensem pro bello contra Sveciam parata erant omnia, dum tandem hic belli declaratio successit, in qua Svecia belli causa

argui
quia
cont
Rela
pax;
quan
Svec
vide
um.
pien
dam
nava
tra c
tentia
futur
praet
super
tendu
quam
anted
nit,
set,
gore
missa
jus c
su, s
fectu
ex P
ret,
sit,
Sveci

tatem
exper
mate
Dania
mons
pro g
carum
has
suae
dum
cipa
proba
defen

bet te

arguitur, quia raptui classis danicae palam non indoluit, quia in vindicanda hac injuria cooperari noluit, et quia contra sui ipsius invasionem opem ab Anglia implorat. Relationes Suae Majestatis erga hanc potentiam erat alta pax; nullum foedus aut conventio designavit commune quampiam pro utraque viam, quam sequi debuissent; Dum Svecia, Russia, et Borussia adversus Galliam pugnabant, videbatur Dania sub umbra neutralitatis esse amicus omnium. Systematis hujus testis, et per nonnullos casus A. 1806 plene convictus, nullam in eo in favorem Sveciae sperandam esse mutationem, non poterat Rex expectare, ut res navalis Daniae unquam Sveciae utilis futura sit; pace contra chronopolitana confecta, omnis aderat probabilitas, potentiam hanc sub influxu alterius condam Sveciae in viciniam futuram; ideo Sua Majestas relate ad ea, quae in vicinia praeterito Autumnno evenerant, altum siluit, judicium desuper Angliae; et tempori relinquens. Caeterum ingenue fatendum est, Sveciam ab Anglia ad hanc expeditionem nunquam provocatam fuisse, imo eam nec eidem notitiae datam, antequam tempus executionis adfuisset. Classis anglica venit, et rediit, quin aliquem portuum Svecicorum attigisset, copiae autem auxiliares, quae in Pomerania erant, vigore conventionis de 17. Junii 1807. longe prius domum remissae, quam de hac expeditione vel cogitatum fuisset; cujus conventionis Articulus est: „Constitutum est, ut in casu, si scopus hujus conventionis ob adjuncta rerum in effectum deduci nequiret, aut revocationem harum copiarum ex Pomerania Svecica Rex Britanniae necessariam judicaret, haec conventio Suam Majestatem impedire non possit, quin pro securitate harum copiarum, quae nunc Regi Sveciae parent, oportuna disponere valeat.“

Aula Londinensis demonstravit cursu temporis legalitatem hujus expeditionis, et magis adhuc quotidiana probat experientia, et tamen adgressio classis danicae nunc prima materia inimicitiarum apud omnes evasit. Anxie quaerit Dania praetextus, quibus belli declarationem palliet. Remonstrations Sveciae contra irregularem postae cursum pro gravaminibus accipit, et, ut cursum litterarum anglicarum impediatur, allegat, se ad hanc conventionem, et ad has dispositiones coactam fuisse. Vult experiri mentem Suae Majestatis, et eam sibi inimicam esse imaginatur, dum ipsa jam a mensibus se occulte ad adgressionem Sveciae parat. Vult circa commoda Sveciae judicem agere, dum ipsa salutem, independentiamque propriam immolat. Improbatur Sveciae, quod per tractatum subsidionalem pro sui defensione semet paret, dum ipsa offensive agit.

Hic quoque Suae Majestati Regi Angliae illud dari debet testimonium, quod in nullo tractatu ab Svecia offensi-

vam operationem postulaverit, nec quidquam, quod contra securitatem, ac independentiam hujus Regni est, unquam voluerit. Evidentissimum hujus argumentum est promptitudo illa, qua ad propositionem Suae Majestatis Regis Sveciae, ne mare balticum turbaretur, sub conditionibus accesserat, quae toti Septemtrioni honorificae, utilesque futurae fuissent. In hac unica propositione potest legere Danicum Gubernium refutationem omnium gravaminum suorum, quae belli declaratio continet, si statum illum rerum, quem Rex Sveciae procurare voluit, placida mente comparaverit. Svecia, Anglia, Borussia, et Russia bellabant nuper pro communi causa, quin aliquis Daniam ad communionem cogere voluisset. Tunc, sicut nunc, fuerat Dania foederata Russiae, et cur non promovit eandem causam? Si Anglia principia hostis secuta fuisset, non distulisset spoliationem Daniae usque ad illud momentum, quo illa cum alia potentia semet conjunxit; sed jam ante plures annos classem occupasset, et pro commodo Septemtrionis retinuisset.

Ipsam veteris amicitiae vinculum Daniae cum Russia motivum esse deberet, ut offensivum hoc bellum acceleretur, licet toti mundo notum sit, pactum hocce foederis non nisi defensivum fuisse, et ad postremum bellum cum Russia non valuisse; quia tamen haec potentia postulare potuisset, ut se aula Danica excuset, assumit in se defensionem iniquitatis Russiae. Injustitia, et falsitas suos habent limites, et honor, ac sinceritas triumphabunt. Justitiae causae suae plene confidens, et cum ambitione; sibi populum fidelem, et martialem regendum obtigisse, qui saepius jam probatus, ast per manum Omnipotentis constanter servatus erat, sperat Sua Majestas, Eandem Divinam Providentiam armis suis benedicturam, subditisque suis cum humiliatione inimicorum suorum, securam, honorificamque pacem concessuram.

Diarium Politicum.

Infelix Princeps Pacis, dilectus hic nuper admodum fortunae filius, dum novissime ex carceribus eductus fuisset, erat propemodum nudus; Quid cum eo futurum sit, adhuc incertum, id unum tamen constat, eum potentes habere defensores — Vidimus, dicit *Argus*, Principem hunc de summitate throni ad pedem usque patibuli uno quasi momento dejectum. Oppressus calumniis, vidit ante oculos enectum fratrem suum, et expilationem domus suae, nec aliter furor Siccariorum evasit, quam per carceres, in quos detrusus erat, in quibus absque omni ope, aut solatio adhuc dum gemeret, nisi Galliae intermediatio eum liberasset. Haec tanta severitas videtur magnorum criminum reum indicare, sed hucdum ignota sunt Europae peccata Principis Pacis.

Usque

est or

In for
juris,
fuerat
isset;
prema
succes
Ignosc
Port
striac
set, i
set; —
ropa.
eam i

ticus.
Talis
ribus,
violen
et tun
per m
test ip
lis Mo
stare,
oportet
dividen
sumus